



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

III. An non verba illa, ligandi & soluendi, remittendi & retinendi, de Fide  
potiùs, quàm criminum disquisitione intelligenda sint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

Annon verba illa ligandi, & soluen- *Quæstio*  
 di, remittendi, & retinendi; de fide po- *III.*  
 tius, quàm criminum disquisitione  
 intelligenda sunt?

**C**onstat eos, qui rebus nouandis student, *Responsio.*  
 Doctoribus Ecclesiæ non assentiri, qui  
 verba ligandi, & soluendi, remittendi, &  
 retinendi, disquisitionem quandam crimi-  
 num exigere existimauerunt; sed ipsi hæc  
 verba ad fidem tantum referunt, vt is soluē-  
 dus sit, qui dicat, se tantum credere, sibi per  
 Christum esse remissa peccata, et si non con-  
 fiteatur eadem speciatim: Is verò solus ligā-  
 dus sit, qui Euangelij promissionē respuit,  
 verbum Dei auersatur, aut contemnit. In  
 summa, qui sibi peccata remitti non credit.

Verum respondemus nos, nequaquã infi- *Orig. Ho-*  
 ciari fidem remissionis peccatorum, quam *mel. 1. in*  
 in nobis efficit Spiritus sanctus, omnino ne- *Matth.*  
 cessariam esse in poenitente, qui velit clauis  
 fructum percipere. Nam vt clavis non ape-  
 rit seram, nisi sera ad recipiendum clauē sit  
 disposita; sic virtute clauium spiritualium  
 nō soluitur peccator, nisi mentē habeat hac *Ambro. in*  
 fide præparatã. Quò fit, vt Patres interdum *serm. de na-*  
 hanc fidē et Spiritum sanctū, qui fide datur, *tali Petri*  
 clauē regni cœlestis appellēt, & sine fide præ- *& Pauli.*  
 ambula & Spiritu sancto, nec Sacerdos cla-  
 uibus dignè vtatur, nec clauēs in peccatorū  
 cordibus aperiendis sint efficaces.

A 6

Sed



## Caput I. De Institutione

Claues aliud sunt quam Fides.

Matth. 16.

18.

Ioan. 20.

August. de

doct. Chri.

lib. 1. cap.

17. & 18.

Nota ver-

bū Corre-

ptus.

Aug. de Fi-

de ad Pet.

ca. 3.

Matth. 16.

Sed claves nihil aliud esse, quam fidem & Spiritum sanctum, id planè negamus: Nam Apostoli & fidem & Spiritus sancti reuelatione habuerunt, priusquam Christus ipsis claves vel promitteret, vel daret; Ergo claves esse oportet quid præter fidem, hoc est, potestatem quandam, qua in Ecclesia poenitentes, cum accedunt per fidem, ac confitentur, & confessi per tenentes Ecclesie nomine claves correpti soluantur, & ligantur.

In quam sententiam D. Augustinus dixit, Christum has claves ligandi, & soluendi Ecclesie dedisse, scilicet, ut quisquis in Ecclesia, eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitteretur: Quisque autem crederet, seque ab his, correptus, auerteret, in eiusdem Ecclesie gremio constitutus, eadem Fide, ac correctione sanaretur. Quisquis enim (ut subdit) non credit sibi dimitti posse peccata, fit deterior sperando, quasi nihil illi melius, quam malum esse, remaneat, ubi de fructu sue conuersionis infidus est. Hæc ille. Neque enim frustra dixit Augustinus, ut quisque in Ecclesia correptus, se à peccatis auerteret, quemadmodum idem alibi dixit: Poenitentiam tunc peccatori prodesse, si eam in Ecclesia Catholica gerat, cui DEVS in persona B. Petri ligandi soluendiq; tribuit potestatem, dicens: Quæ alligaueritis super terram &c.

Quantò ergo rectius & veteres & recentiores Catholici Patres, locum illum Ioannis 20 de



de tali potestate remittendi, & retinēdi peccata ( quæ Confessionem præambulā requireret ) intellexerunt.

Inter recentiores Hugo Victorinus non contemnendus Autor, sic ait: D E V S homo, homines, qui puri homines erant, participes fecit potestatis suæ, vt officiū eius implerent, pœnitentium Confessionem suscipiendo, vt potestatem eius exercerent, Pœnitentibus, & Confitentibus peccata remittendo, cūm inquit: Accipite Spiritum sanctum &c. Ioan. 20.

Iam, quis est tam stupidus, qui non potiùs ducat Patrum; imò totius Ecclesiæ consensum in interpretandis Scripturis, singularibus quorundam, atq; exoticis sententiis anreponere? Præsertim cūm Patrum sententia Christi verbis quàm maximè cōsentanea sit, præcipuè si fines Absolutionis, & clauū in Ecclesia relictarum intuearis?

Nobis certè plurimùm hallucinari videntur, qui per verbum (retinere peccata) nihil aliud intelligunt, quàm relinquere eum, qui verbum D E I auersatur, suo errori; existimātes locos Euangelicos, qui de clauibus sunt, quod ad retentionem, seu ligationē attinet, nihil aliud continere, aut velle, quàm quod Christus tradidit apud Matthæū: Quicumq; non receperit vos, neq; audierit sermones vestros, exeñtes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerē de pedibus vestris &c. Nā quis non videt, clauis ad soluendos, vel ligandos fratres,

Quid p ver  
bū ( remit-  
tēdi pecca-  
ta) intelli-  
gatur.  
Discrimen  
locorum.  
Matth. 10.  
Ioan. 20.



## Caput I. De Institutione

fratres qui de Ecclesia sunt, Ecclesiae traditas esse? Locus autem ille Matthæi: De his qui foris sunt, loquitur, fidem in Christum, & Euangelium repudiantibus vel corruptentibus, qui non clauium virtute; sed infidelitate sua, & proprio iudicio condemnantur; quos tanquam deploratos, nisi resipuerint, relinquendos Euangelium & Apostoli tradiderunt. De quibus Paulus dixit: Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare?

I. Cor. 5.

*Quæstio* *Quid respondendum iis, qui eò, q̄ Christus nullibi hanc secretam peccatorum Confessionem expressis et disertis verbis præceperit; Christianos nequam ad eam alligandos esse, contendunt?*

*Responso.* **N**ihil aliud illis responderi debet, quam quòd tantum verbis inanibus sophisticentur. Christus ægrotis medicum, oneratis, ac laborantibus refectorem ac consolatorem ostendit. Ergone tibi videtur is ægrotus (qui reconualescere valet) satis præcepisse, vt medicum adeat, qui medicinam ostendit? Quin ægrotis, vt ad medicum properet, præceptis non est opus; sed morbus ipse satis interpellat infirmum, qui docet non bene habentibus, sed malè habentibus opus esse medico.

Matth. 9.  
2. Cor. 9.

Tace.